

minum in omni tempore: semper laus ejus
 in ore meo. In Domino letabitur anima
 mea: audiant mansueti & letentur. Quo
 loco B. David Dei laudem & gaudium
 conjungit, docetq; nos alterum ex al-
 tero profeminari. V. Optimum certif-
 simumq; medium est cœlestem conso-
 lationē obtinendi diligens divini ver-
 bi lectio, auditio, & meditatio. *Quæ-
 cunq; enim scripta sunt, ad nostram doctri-
 nam scripta sunt, ut per patientiam & con-
 solationem scripturarum spem habeamus;*
 ad Rom. 15. Nam ex verbo Dei tanquā
 ex verissimo & unico consolationum
 fonte, gaudium & animi serenitatem,
 in tribulatione & cruce, haurire nos
 oportet: nec non indidem discere,
 quomodo per veram pœnitentiam, fi-
 dem solidam, orationem ardentem,
 laudemque Dei assiduam divinas con-
 solationes consequi valeamus.

CAPUT XLIX.

DEI VERITATEM ET FIDEM
 infallibilem debere in nobis patien-
 tiam operari.

Micheæ 7. Ego autem ad Dominum
 aspiciam: & expectabo Deum
 Salvatorem meum: audiet me Deus
 meus.